



**Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. XXIIII. Abbatii morienti Virgo opitulata est; eumq. ab aeternis  
poenis eripuit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](#)

set causa. Testatus est ipse, nunquam quicquam aliud se coelestis reginae sacrato nomini expendisse, praeter exiguum ieiunij tributum. Etenim cum eo die qui Virgini consecratus est, herus sacerdos ieiunaret; & ipse, rem optimam existimans, illum imitabatur. Id ibi a sacerdote planè confirmatum est. Quare, qui illic aderant, omnes passis manib. Virginem castissimè uenerabantur, & colebant.

## MIRAC. VIRG. XXIIII.

*Abbatis morienti Virgo opitulata est; eumq. ab aeternis poenis eripuit.*

**H**Enricus, Certesij coenobita, quia quoddam coenobium praefecto carebat, inuitis omnib., ut gradum illum obtineret, operam dabant. eius prouinciae rege intercessore, illud munus administravit; quod ab omnib. aegrè ferri, idem rex intelligens, eundem illinc amotum, Haliësi coenobio praefeciendum curauit. Diu praeclarè ibi se gesserat; cum iterum Certesium rediit, ubi paucis post dieb. grauissimo morbo coepit laborare. Etsi ceteris in reb. non admodum spectata erat in Henrico probitas; tamen in eo maximè laudandus erat, quia simplici, & aperto animo Virginè colebat, & saepissimè ad eius nominis memoriam colendam, Deo rem diuinam solebat facere. Progressus iam erat morbus; & ipse monacus mortis metu affectus praefectum accersuerat, ut purae confessionis sacramento animam expiaret ne ob peccata aeternis poenis addiceretur. Interim uidens

uidens ad eundem morbum maximam fieri accessio-  
nem, qui nec in lecto consistere, nec ullam quietē re-  
perire poterat, alios coenobitas omnes obsecrauit,  
ut Deum quam suppliciter possent, rogarent, ut eius  
pietate animae suae salus in tuto loco statueretur. Illi  
una omnes Deum, & coelestis pro misero precaban-  
tur, & piē inuocabant. At ipse sensib. omnib. erexit  
mutus factus est. Acerbum dolorem monaci om-  
nes ferebant, eum mortuum existimātes, quem sacris  
destitutum christiana sepultura honestare non aude-  
bant. Interim se Henricus recipit, manusq. ad coelum  
extollens, immortaleis Virgini gratias agit, cuius pie-  
tate perpetuas poenas effugerat, è quib. aliter nō po-  
terat elabi. Dicebat eiusdem Virginis clementia, &  
singulari beneficio, à filio impetratum fuisse, ut ipse  
sanctissimam eucharistiam sumeret. Illuc colesti  
pane allato, statim dicere incepit, sub eo sacramen-  
to eum contineri, qui è Virgine natus, ob hominum-  
scelera in cruce suffixus est. Pace deniq. monacis  
data, & pace ab eis impetrata animam exegit; quae,  
ut adstantes pro certo habuere, à Virgine in coelum  
fuit perducta. Ille autem in christiana sepultura fuit  
conditus; & Virgini eam ob rem maximae gratiae  
actae sunt.

## MIRAC. VIRG. XXV.

*Dissectam ab Haereticis sacerdoti linguam Virgo restituit.*

**D**uo sacerdotes peregrē proficiscentes per Al-  
bienium haereticorum prouinciam iter habe-  
bant,